

337

335

341

331

Ex opposito hospitalis sunt ruinae ingentes murorum,
reliquiae domus dominorum theutonicorum, apud quos hospi-
tabantur olim honorabiles peregrini de Alemannia. Juxta
eandem domum erat alia curia magna, in qua manere solebant
foeminae peregrinae, quae viris in hospitali magno cohabitare
minime permittebantur. Haec omnia peccatis nostris exigen-
tibus in acervos lapidum sunt redacta.

346

326

386

Porro ad latus magni hospitalis erexerunt Sarraceni turrim
altam, pretiosam, polito et albo marmore ornatam, et juxta
turrim moscheam, contra faciem templi sancti sepulchri. Et
in hac turre clamant et ululant die ac nocte secundum male-
dictae suae sectae institutiones. Ego omnino credo, hanc
moscheam cum turri in despectum Crucifixi, et in praejudicium
Christianorum esse aedificatam. Juxta moscheam sub turri
est una schola puerorum, in qua pueri paganorum de lege
Machometi imbuuntur, et toto die mirabili ejulatu clamant.
Ego quadam alia vice, cum solus caussa orationis de monte
Syon in atrium templi descenderem, et pueros clamantes
audirem, accessi ad ostium scholae et introspxi, et sedebant
ordinate in terra, et eadem verba omnes pariter altis vocibus
personabant, inclinantes caput cum dorso, sicut Judaei faciunt
etiam in suis orationibus. Totiens autem repetebant verba
eadem, quod ipsa verba et notam retinui, quae sic sonabant:


286

436

236

Ende

Anfang



Illa enim sunt vera principia et professio fidei eorum, et ea in principio pueris tradunt studenda, et ea eis repetitis vicibus inculcantur. In turribus etiam frequenter ea proclamant, ut patebit fol. 95. part. II. Alia etiam habent, quibus pueri instruuntur, quae aliter sonant, sicut saepe (**B**) audivi. Sub illa schola intra moscheam et templi atrium sunt duo carceres civitatis, in quibus includuntur malefactores, et sunt parvae domunculae, quasi clibani, et stant in magnum impe-
dimentum et terrorem peregrinorum. Saepe enim mihi contigit,